



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Sanguis Martyrum quantæ sit potentiæ, ad homines à peccatis
abducendos, admira[n]dos exe[m]plo ostenditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

sunt quædam scelera, fateor; sed longè potentius est antidotum sanguis Christi ad sanguinem peccati abluendum. Quid sanguis Christi non posset, si sanguis martyrum tam efficax est, à Christi sanguine vim trahens? Nam vel istum legimus, duros tales saxeosque emolliisse, atque molles solidasse in virtutem; vt, infinita Numinis bonitate cognita, omnem molliem voluptatè que improbam, in fortitudinem patientiàmque commutarent, martyrum Deum, vsq; ad tormenta exquisitissima ac mortem, amantium, exemplo.

VI.
Surius ex
Metaphra-
ste 5. Iunij.

Aglais Romana, mulier claritate natalium, formæ elegantia, fortunæ benevolentia, copiâ diuitiarum insignis; ex genere nimirum patricio, & eorum, qui proconsularem honorem erant consecuti; eam à prima ætate vultus gratiam acceperat. quæ infidias facere & pati posset. Ac, ne malorum vel irritamenta, vel fomenta deessent, tantæ suppetebant opes, vt ad omnem luxum sufficerent. Accedebat, super omnia, periculosissimum iuuentuti venenum, libera viuendi potestas. Absque parentum oculis, absque mariti custodiâ degebat. Vno verbo, sine vlllo metu, domina erat; & quidquid libebat, faciebat; ipsa domi pariter & pater & mater familias. Rarò fortuna, quos nimis amat, seriò amat: nam fauor illius, hamus est vitiorum. Cæpit itaque Aglais pecuniâ vti ad voluptatem; cui cum cupediæ non satis facerent, etiam illecebræ turpes quærebantur. Quid expectatis? in tali domo non habitant simul honestas & potestas. Quid autem non faceret pre-mortui pudoris muliercula? quid non efficeret excetra, quæ delinimentis permulcebat omnes? præcipuè eos, quibus poterat imperare: inter quos illa nec coniux, nec vidua, nec virgo fuit.

VII.

Dipsas serpens est, ad inferendam perniciem summè velox: nam quos momordit, siti inardescunt adeò vehementer, vt paulo post moriantur. Talis erat serpens Aglais, immo longè perniciosior; neque enim illi morfu opus erat, sed ex oculis incendia iaculabatur, &, tanquam Medusa, aspiciendo necabat. Habuit hæc, in familia sua, aliquem bonorum suorum procuratorem Bonifacium nomine, qui ingenij solertiam, insigni in eam fidelitate ac benevolentia, reddiderat amabiliorem. Inuictus in eo animus, à solo amore & vino vincebatur: cui & forma promotionem dedit, vt ambiretur, & vinum stimulos, ne frustra ambiretur. Siquidem, vbi ebrietas, ibi rarò diu venustas & castitas sociantur. Accedebat,